



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

III. Quod vsuras, non solum clerici exigere non debeant, sed nec laici.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

## III.

Nec hoc quoque prætereundum esse duximus, quof-  
dam lucri turpis cupiditate captos, vsurariam exercere  
pecuniam, & fenore velle ditescere. Quod nos, non di-  
cam in eos, qui sunt in clericali officio constituti, sed in  
laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condole-  
mus. Quod vindicari acrius in eos, qui fuerint confutati,  
decernimus: vt omnis peccandi opportunitas adimatur.

*l. q. 4.  
Nec hoc  
prætereun-  
dum.*

## IV.

Illud etiam duximus præmonendum, vt sicut non suo,  
ita nec alieno nomine, aliquis clericorum exercere fe-  
nus attentet: indecens enim est, crimen suum commodis  
alienis impendere. Fenus autem hoc solum aspicere &  
exercere debemus, vt, quod hic misericorditer tribui-  
mus, ab eo Domino, qui multipliciter & in perpetuum  
mansura retribuet, recipere valeamus.

*Distin. 46.  
sicut non  
suo.*

## V.

Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis  
fratrum contra hæc constituta venerit, vel venire tenta-  
uerit, & prohibita fuerit ausus admittere, a suo se no-  
uerit officio submouendum, nec eum communionis  
nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit  
disciplinæ. Ne quid vero sit quod prætermisum a nobis  
forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ  
recognitionis Innocentii, quam omnium præcessorum  
nostrorum, quæ de ecclesiasticis \*ordinibus, & Cano-  
num ordinata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem  
custodire debere mandamus; vt si quis illa contempserit,  
veniam sibi deinceps nouerit denegari. Data sexto Idus  
Octobris, Maximo \*vero & \*Paterno viris clarissimis  
consulibus.

*Distin. 10.  
Si Rom.  
pont. 5.  
Quibus ad  
hæc.*

\*ordina-  
tionibus

\*iterum  
\*Paterio